



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

In qua parte recipiatur. 9

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

*Vtrum hoc sacramentum sit conferendum homi-  
ni in fronte?*

422  
inf. a. 11.  
ad 3. &  
4. d. 7. q.  
3. ar. 3. q.  
2. & 4.  
iōs. c. 60.  
et quo. 11  
a. 7. co. et  
Ro 1. le. 5  
fn. & c.  
10. lect. 2.  
cor. 1.  
\*q. 65. a.  
4.  
† ar. 1 &  
2. huius  
quæst.  
li. 1. c. 20  
cir. prin.  
a. 1. 2. &  
4. huius  
quæst.

**A**D nonum sic proceditur. Viderur, quòd hoc sa-  
cramentum non sit conferendum homini in  
fronte. Hoc enim sacramentum est perfectum bap-  
tismi: vt supra dictum est\*. sed sacramētū baptis-  
mi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc sacra-  
mentum non debet conferri solum in fronte.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum datur ad robur  
spirituale, vt supra dictum est†. Sed spirituale robur  
maximè consistit in corde. Ergo hoc sacramentum  
magis debet conferri supra cor, quàm in fronte.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum datur homini  
ad hoc, quòd liberè fidem Christi confiteatur. Sed  
ore fit confessio ad salutem: vt dicitur Rom. 10. Er-  
go hoc sacramentum magis conferri debet circa os,  
quàm in fronte.

**S**ED contra est, quòd Rabanus dicit\* in libro de  
institutione clericorum, Signatur baptizatus chris-  
mate in summitate capitis per sacerdotem: per Pon-  
tificem verò in fronte.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd ( sicut supra di-  
ctum est\*) in hoc sacramento homo accipit Spiritū  
sanctum ad robur spiritualis pugnæ: vt fortiter etiam  
inter aduersarios fidei, Christi fidem confiteatur.  
Vnde conuenienter signatur chrismate signo crucis  
in fronte, propter duo. Primo quidem, quia insigni-  
tur signo crucis, sicut miles signo ducis, Quod quidē  
debet esse euidens & manifestum. Inter omnia au-  
tem loca corporis humani, maximè frons manifesta  
est, quæ quasi numquam obregitur. Et ideò linitur  
confirmatus chrismate in fronte, vt in manifesto de-  
monstret se esse Christianum: sicut & Apostoli post  
acceptum Spiritum sanctum se manifestauerunt,  
qui prius in cœnaculo latebant. Secundo, quia ali-  
quis impeditur à libera confessione nominis Christi,  
propter duo, scilicet propter timorē, & ppter vere-  
cun-

eundiam. Vtriusque autem horum signum, maximè manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc quòd spiritus à corde directe ad frontem ascendunt. Vnde verecundati erubescunt, timentes aurem pallescunt, vt dicitur 4. ethic.<sup>4</sup> Et ideo in fronte signatur chrismate, vt neque propter timorem, neque propter erubescenciam, nomen Christi confiteri prætermittat. *l. 4. c. ult. cir. prin. 10. §.*

Ad primum ergo dicendum, quòd per baptismum regeneramur ad vitam spiritualem, quæ ad totum hominem pertinet. Sed in confirmatione roboramur ad pugnam, cuius signum ferendum est in fronte, quasi in euidenti loco.

Ad secundum dicendum, quòd principium fortitudinis est in corde: sed signum apparet in fronte. Vnde dicitur Ezech. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorē frontibus eorum. Et ideo sacramentum Eucharistiæ, quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor: secundum illud Psal. 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad sacramentum confirmationis requiritur signum fortitudinis ad alios: & ideo exhibetur in fronte.

Ad tertium dicendum, quòd hoc sacramentum datur ad libere confitendum, non autem ad confitendum simpliciter: quia hoc fit etiam in baptismo. Et ideo non debet dari in ore, sed in fronte, vbi apparet signa passionum, quibus libera confessio impeditur.

ARTIC. X.

*Vtrum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio?*

**A**D decimum sic proceditur. Videtur, quòd ille qui confirmatur, non debeat ab alio teneri ad confirmationem. Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per seipos stare possunt. Ergo ridiculum est, quòd ab alio teneantur. *423 4. d. 7. q. 3. a. 3. q. 1*

¶ 2 Præterea, Ille qui iam est de Ecclesia, liberū habet accessum ad Ecclesiæ principē, qui est episcopus.